

TABULA 325.

## TANAECIUM PINNATUM.

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

CHAR: ESSENT: *Calyx* cylindraceus, truncatus. *Corolla* tubulosa, subaequalia, quinquefida. *Rudimentum* filamenti quinti. *Bacca* corticosa, maxima.

TANAECIUM *pinnatum*: foliis pinnatis, floribus pentandris, caule arboreo. *PERSOON Synops. Plantar.* 2. p. 168.

CRESCENTIA *pinnata*. v. *Jacq. Collect.* 3. p. 205. t. 18.

*Crescit in Mozambique, vocaturque ab incolis Kigeliheia.* 5.

ARBOR vasta.

FOLIA sunt alterna, pinnata cum impari. Costa teres, glabra, pedalis et ultra. *Foliola* utrinque quatuor, oblonga, obtusa cum acumine, rariter et acuminate serrata; undulata, coriacea, rigidula, dorso venosa, glabra quidem, sed subtus tamen ad tactum radiuscula, supra vero mollia, brevissime petiolata, basi interiore paulo breviora, inferiora opposita subalternantia, summa fere semipedalia, inferiora decrescentia; supremi imparis petiolo unciali.

FLORES truncum ramosque seniores occupant.

CALYX *perianthium* subbilabiatum, ad unam tertiam quinquefidum in lacinas semi-ovatas et acutas, pallide viret cum oris rubentibus.

COROLLA amplissima, foris nervosa et pallens cum suffusa rubedine, intus saturate rubra; *limbo* quinquefido, acuto, patente.

STAMINA *filamenta* quinque, quorum quatuor didynama, quintum brevissimum; uti in *crescientia*. *Filamenta* basi hirsuta.

PISTILLUM *Germen* teres, glandulis quinque suffultum. *Stigma* bilamellatum, lanceolatum.

FRUCTUS *Bacca* capitis magnitudine, pulpa replectum, in qua nidulantur semina.

*Ramulus florens et folia magnitudine naturali.*

1. Ramulus florens magnitudine naturali.
2. Calyx et Pistillum.
3. Germen.
4. Corolla secta et explanata.